DE

# GASTRITIDE CHRONICA.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

*DIE XXIV. MENS. FEBRUARII A. MDCCCXXXVI.*

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**GEORG. HUBERT. LEO KRAPPE**

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. BAUM, MED. ET CHIR. DR.
L. MORITZ, MED. ET CHIR. DR.
W. WESCH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
HUMANISSIMO

AB ARNIM,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO
BEROLINENSI,

AMICO CARISSIMO,

NEC NON

# PATRI

OPTIMO SUMMEQUE VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

VERO ANIMI CULTU

D. D. D.

AUCTOR.

# PRAEFATIO.

Mihi quoque nunc ad doctoris dignitatem impetrandam necessitas est imposita, opusculum quoddam in lucem edendi, et permulta jam hac de re in dissertationibus innumerabilibus esse dicta multasque querelas agitatas de difficultatibus juvenem in dissertatione eligenda angentibus non ignoro. Me quoque huic sententiae accedere, fateri non pudet, et ipse diu haesitavi, quamnam rem tractandam mihi sumerem. Disquisitionibus magnis anatomicis, physiologicis et pathologicis imparem me esse non ignoravi, et nova in lucem edere neque

volui neque potui propter aetatem juvenilem experientiaeque defectum. Rem igitur mihi elegi e pathologia, quae maxime mihi placuit, et de morbo scribere sum conatus, cujus ipse vidi plura exempla et in clinico Halensi *Krukenbergii* et in Berolinensi Cel. *Wolffii.* Haec quum ita sint, ut veniam mihi det et indulgentiam lector, rogo cogitetque, quod jam dixit poëta antiquus:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Ventriculi affectiones morbosae, quibus novissima nostra aetas tantum attulit lucis, jam apud *Hippocratem* commemorantur, neque desunt apud eum loci, in quibus scribendis inflammatorius ventriculi status ob oculos ei versatus fuisse videatur. Non tamen satis accurate neque diagnostice neque pathologice de iis disseruit, quum ad καρδιαλγίαν omnes fere ventriculi affectiones referendas censeret. Multo tamen horum morborum peritior erat *Galenus*, qui *(de locis affect. lib. IV, cap.* 6*)* de tumoribus erysipelatodibus vel phlegmonodibus, de ulceribus et abscessibus ventriculi loquitur ὄγκα φλεγμονώδεις ἢ ἐρυσιπελατώδεις, ἕλκη, (ἀποστήματα). Etiam *Aretaeus*, diligentissimus morborum observator, sub ventriculi morbis chronicis jam comprehendit inflammationem et rheumatismos et cardialgiam et dolorem. *(De sign. in morb. chron. lib. II. cap.* 6*:* στομάχῳ χρονίῃ νοῦσος, φλεγμοναὶ δὲ καὶ ῥεύματα καὶ καρδιωγμὸς ἢ πόνος) Etiam *Celsus* de ventriculi inflammationibus et exulcerationibus loquitur. Sed tamen et illi scriptores antiquiores et omnes recentiores

ad initium usque hujus saeculi de acuta quidem gastritide multa habent et enarrant; gastritis vero, quae proprie vocatur chronica, plane apud eos desideratur. Nec mirum hoc videri possit, quum anatomia praecipue pathologica, ex qua potissimum in huncce morbum multum redundavit lucis, et apud antiquiores plane fere jaceret, et per novissimum tantum hocce saeculum quam maxime coleretur. Praecipue vero de morbo nostro laude digni sunt *Alex. Pujol*, (*oeuvres de médecine practique ed. par Boisseau. Paris* 1823. *tom. IV.*) *J. Wendt*, (*die alte Lehre von den verborgenen Entzündungen. Breslau* 1826.) *Brousssais*, (*histoire des phlegmasies ou inflammations chroniques. Paris* 1822) etsi multum medicinae attulit damnum, *Abercrombie*, (*pathologische Untersuchungen über d. Krankheiten des Magens u. s. w., übersetzt von v. d. Busch, Bremen* 1830) *Armstrong*, (*the morbid anatomy etc. London* 1828) et *Lesser* (*die Entzündung und Verschwärung der Schleimhaut des Darmkanals usw. Berlin* 1830).

## NOSOLOGIA.

Gastritis chronica, a celeberrimo viro *Naumann* (*Handbuch der medizinischen Klinik. tom. IV.*) erysipelatosa etiam, et a celeberrimo *Most* (*Encyclopädie*) etiam gastritis lenta vocata, haud dubie multo frequentius occurrit quam acuta, saepissime vero tamen obscure percurrit, ut ad inflammationes occultas referri possit, multisque cum aliis morbis confundatur aut ex sequelis tantum suis et effectibus cognoscatur. Quod mirari certe non oportet, si respicimus tunicam illam mucosam, in qua plerumque gastritidis chronicae est sedes, quaeque,

omnes sui generis, natura ita est torpida, ut adeo majores ejus affectiones et perturbationes difficilius plerumque in sensus cadant. Neque subito morbus noster exoriri solet, sed praecipue sensim sensimque nulla causa essentiali enascitur, eoque magis homines fallit. Hoc tantummodo fieri potest, ut morbi inde profecti gravissimi nulla exhibeant symptomata, ex quibus eos adesse conjicere licet. Sic (*Medizinische Zeitung* 1832. *N.* 13) a *Dr. Heymann* casus enarratur, in quo post mortem carcinoma cardiae inventum est, neque tamen homine vivo vomitus aut aliud symptoma essentiale apparuit. Neque vix signum pathognomonicum inveniri possit, quod solum per se gastritidem chronicam indicaret. Saepe pyrosin tantum ventriculi conqueritur aeger vel ructum, flatulentiam pressionemque aliquam post coenam. Plerumque dolores adsunt circa ventrem, sed qui et vehementiae et durationis tempore valde differunt, jamque *Galenus* de doloribus loquitur rodentibus circa ventrem, quos sequitur nausea et satietas γίνονται δὲ καὶ δήξεις ἐν αὐτῷ τινες καὶ ἀσώδεις διαθέσεις). Saepe post coenam tantum dolores oriuntur, qui post cibos digestos desinunt. Neque tum ciborum appetentia valde est imminuta, sed cibos tantum sumere timent, quia dolores ex iis oriuntur, quibus vacuo ventriculo ipsi plane vacant. Aliis in casibus dolores plane desunt, et sensum tantum quendam obscurum gravitatis et anxietatis, caloremque et pyrosin conqueruntur aegri (τῆς γαστρὸς στόμα βαρύεταί τε καὶ θλίβεται. *Galen.*). Saepe post intervalla incerta dolores redeunt, et plus minusve vexant. Interdum dolor fixus locum aliquem occupat,

praecipue latus dextrum pungens et urens, et in circuitu constringens et premens. Nec raro occurrit, quod post nonnullas doloris accessiones per hebdomades adeo et menses a doloribus plane vacant aegri. Plerumque tamen fieri solet, ut omni tempore per attactum digitorum vehementiorem, per potus spirituosos, per cibos acres et salsos dolores excitentur, quum plerumque per pronam abdominis inclinationem valde imminuantur. Interdum etiam accidit, ut post pransum molestiae desinant, quae tamen in coena tum tam vehementer increscunt, ut ab ea surgere coactus sit aeger, et evomito tantum liquore subacido sublevetur. Nec desunt casus, ubi dolores sub vesperam tantum et noctem desiere. Nonnullis etiam in casibus symptoma perpetuum est liquor quidam albidus, limpidus albuminique similis, quem ventriculus secernit. Sic apud Cel. *Andral* mulier quaedam commemoratur, quae intra diei unius spatium quatuor vasa, quae germanice vocantur Pinten, illius liquoris albumini similis evomebat, nunquam vero cibos aut potus, quos sumserat. Interdum etiam in hoc liquore per ventriculum secreto striae colore nigrae aut chocolato-fuscae reperiuntur.

Pro alio signo characteristico, de quo jam *Galenus* loquitur loco supra allato, quodque praecipue *Pemberton* et *Annesley* laudant, illa pyrosis ventriculi habetur, quae urit maximeque aegrum infestat. Sed certius adhuc signum sistit vomitus, qui in paucis tantum casibus plane defuit. Attamen primis temporibus rarius tantum occurrit et plerumque tum aliis ex casibus, ex impletione ventriculi etc. originem duxisse putatur. Paullatim ta-

men frequentius accedere solet, quam qui in vita admodum regulari et ordinata et per diaetam modicam et accommodatam saepius impediri possit. Nonnullos cibos ventriculus plane fastidit, interdumque tantum cibi solidi, interdum tantum liquidi evomuntur. Sunt qui mucum ejiciant tenacem, subfuscum, sunt qui liquorem acrem et acidum ejiciant vomitu, sunt denique qui materiam chocolateam et sanguineo-nigram evomant. Serioribus deinde temporibus frequentius vomunt aegri semel vel saepius per diem nulla sufficiente causa. Saepe etiam post magnos corporis labores et intentiones subitaneus vomitus cruentus intrat, quem sequuntur alvi dejectiones sanguineae, e quibus post plures tantum hebdomades aegri sese reficiunt, et inde ab hoc tempore pertinaci laborant dyspepsia et anorexia. Sitis ab hoc morbo raro abesse solet. Alvus etiam interdum est regularis, saepius tamen obstructa, ita ut post tertium aut quartum tantum diem sedem habeant aegri. Interdum etiam diarrhoea cum obstructione alternari solet, nonnullumque tum per tempus sedes sunt serosae et mucosae, in quibus interdum lymphae plasticae concrementa inhaerent. Urina plerumque est rubra aut luteo-turbida, qualis gastrica esse solet, sedimentumque ponens album, mucosum. Lingua rarioribus tantum in casibus valde est sicca et aspera. Plerumque albo muco est obtecta aut rubra vel subflavo fusco tegumento obducta. Apud *Lesserum* adeo inveniuntur casus, in quibus radix linguae fusca, apex vero ruber et siccus fuit. Febris plerumque desideratur et tum tantum apparet, quum febris lenta jam sit exculta aut alium exitum infaustum sumserit mor-

bus. Interdum tamen jam prius sub vesperam pulsus fit frequentior et durior, calor major, urina rubrior, quae omnia symptomata, quamquam per se minoris sint momenti, tamen universa et cum aliis collata multum faciunt ad morbi diagnosin. Aliud hujus morbi symptoma, cujus fons jam ex nomine vulgari apparet, tussis est, quae plerumque germanice vocatur Magenhusten, et quam attentione sua dignissimam habuit *Broussais* (*histoire des phlegmasies. Tom. II. p.* 982). Plerumque cum dolore pectoris premente est conjuncta, eodemque modo ut dolores ventriculi habent accessiones et impetus. Crescente in dies magis magisque morbo plerique animo fiunt demisso et languido tristitiaeque et hypochondriae se dant. Vitae injucundae taedium capiunt, caput grave somnique inquietudinem conqueruntur variosque ad morbos mentis inclinant. Francogalli praecipue morbi nostri cum mentis alienationibus complexum perscrutari et per inquisitiones pathologicas illustrare studebant. Omitto hoc respectu *Broussais* et alios, et *Baylii* tantum mentionem injicio, qui omnium optime et uberrime hac de re disseruit. Et maniam et melancholiam, praecipue fixam, hoc ex fonte originem ducere contendit. Sed exitum plerumque esse infaustum, quia malum illud abdominale tam pertinax et difficile debellatu hypochondriam nutriat, quae facillime morbum recidivum reddat. Similiter *Carré* asserit (*observat. de gastro-hepatites. Mém.* de *méd. milit. tom. XVII*) in hominibus, qui taedio vitae et melancholia capti vitam sibi sumserint, tunicam mucosam ventriculi exulceratam et inflammatam inveniri.

Initio morbi nostri nutritio corporis minus jacet; postea vero aegri fiunt tumidi, color lividus, subflavus, macies augetur, facies miserrima et collapsa. Demum oedema pedum et diarrhoeae colliquativae, ascites et hydrothorax accedunt. Adeo sopor et deliria nonnullis ultimo hoc stadio sunt observata.

Alia quae supersunt symptomata minoris sunt momenti, aliisque quoque morbis propria, quae infra illustrabuntur. Nostrum enim morbum tam varia comitantur symptomata et mutabilia, ut vix unam eandemque ejus imaginem omnes praebeant aegri. Nihilominus tamen quum ad therapiam recte et feliciter instituendam quam maxime sit necessarium, ab aliis morbis nostrum jam nascentem vel certe non admodum excultum distinguere, pauca nunc de aliis morbis disserere liceat, quibuscum confundi possit, quibusque rebus a morbo nostro discrepent, eruere.

### 1. *Status simplex saburralis.*

Primum caveamus, ne statum saburralem per ventriculi impletionem exortum pro inflammatione chronica habeamus. Plerumque homines eo laborant robusti et floridi, plures viri quam mulieres, qui saepe mane vacuo adhuc ventriculo pituitam evomunt albam et tenacem paucam. Plerumque ex diaetae errore hoc vitium originem sumit, e. g. ubi vespera praegressa cerevisiam multam aut vinum quis bibit. Igitur etiam diaeta recte instituta malum tollit, quod quidem, si negligitur, saepiusque homo immodice edit et bibit, tum gastritis chronica, induratio ventriculi aliaque mala subsequi solent.

### 2. *Neurosis gastrica, gastrodynia nervosa, spasmodica, cardialgia, Magenkrampf.*

Difficilius tantum hic morbus a gastritide chronica distingui potest. Plerumque ex doloris natura et indole nonnulla conjici possunt. Nempe in cardialgia non tam est continens nec tam fixa, et breves habet paroxysmos, quos sequuntur intermissiones. Neque dolor est urens et pungens, qualis in gastritide, sed magis premens et constringens. Dolor deinde in cardialgia per remedia acria et stimulantia, (quod monuit in exercitationibus clinicis Cel. *Wolff*, clinicus praeclarissimus) e. g. theam cum taffia, aromata imminuitur, quae quidem res in gastritide chronica dolorem potius augere quam imminuere solent. Deinde (quod *Jahn, Klinik der chronischen Krankheiten. Tom. IV. p.* 240, et Cel. quoque *Wolff* adnotavit), in cardialgia plerumque ad dolores sedandos pronum inclinant abdomen et manu premunt, quum tamen in gastritide chronica fortis aliquis attactus vix tolerari possit. Urina etiam in gastritide chronica saepe est rubra aut gastrica, quae vocatur, quum in cardialgia a spastica natura rarius abhorreat tenuisque sit et pallida. Deinde etiam vehementiores cardialgiae gradus saepe comitantur pectoris oppressio et anxietas, et vomitus, si forte adest, contenta tantum ventriculi aut materiae mucosae ejiciuntur. Tum in gastritide chronica linguam rubram et puram, in cardialgia vero plerumque albide obtectam esse, monet Cel. *Wolff*. Etiam ad habitum respiciendum esse clinicus ille praeclarissimus monet, qui in cardialgia plerumque est nervosus et tenerior. Quo

magis etiam inter paroxysmos dolorum dyspepsiae, vomitus et nauseae, pyrosis, appetitus mutationes intrant eo verisimilius est, non neuralgicum, sed magis inflammatorium esse morbum. Sed jure monuit *Berends*, cardialgiam vehementem paullatim transire in inflammationem, ut certi inter eos fines vix determinari possint. Neque etiam est, cur cum inflammatione ipsa affectio spastica non conjungatur, quod multis in casibus fieri nemo certe est, quem fugiat. Interdum etiam ex pulsu signum sumi potest, qui in cardialgia certe spasticus esse solet.

### 3. *Scirrhus et carcinoma ventriculi.*

In scirrho ventriculi, si mediocrem tantum gradum attigit, plerumque induratio digitis percipi potest secundum Cel. *Wolff*, eodemque auctore pulsus plerumque rarus est et tardus et parvus. Deinde etiam scirrhus et carcinoma ventriculi in hominibus tantum valde cachecticis inveniri solet, quorum facies jam collapsa et miserrima gravissimum malum indicat. Materiae, quae in scirrho vomitu ejiciuntur secundum *P. Frankium* variae esse possunt, et prout plus minusve propius ad cardiam morbus sedem habet, plus minusve celeriter statim post coenam sibi evomuntur. Cel. *Wolff* pro signo satis certo scirrhi ventriculi materiam habet tenacem, mucosam, coffeo-fuscam, quae vomitu ejicitur; in carcinomate vero aperto sanguis est admixtus. *Vogel* contendit, in scirrho permultis linguam esse siccam et rubram, quod quidem fieri posse non dubito; potius tamen haecce linguae qualitas ad gastritidem chronicam pertinere mihi vide-

tur, quam *Vogel* plane neglexit et ignoravit. Nihilominus tamen non praetereundum est, scirrhum ipsum ventriculi saepissime et efficere et secum habere gastritidem chronicam. *Wichmann (Ideen zur Diagnostik)* nihil in hoc morbo ventriculum retinere, omniaque ejici contendit.

### 4. *Stricturae tubi intestinalis.*

Has quoque saepissime vomitus comitari solet. Sed plerumque multis tantum post coenam horis intrare solet, saepeque etiam multos per dies plane deest. Etiam non cibi evomuntur sed pituita tantum pauca et alba. Obstructio deinde alvi hic multo est frequentior et pertinacior morbumque adventantem saepe praenunciat.

### 5. *Calculi fellei.*

Dolor multo est vehementior, saepe terens et intolerabilis, ita ut aeger exclamare sit coactus. Excrementa sunt alba, interdum icterus oritur, rarius vomitus, et per nonnullos tantum dies, quoad calculi incarcerati viam sibi nondum aperuerint.

### 6. *Nephritis aliique renum morbi.*

Praecipue in inflammatione renis dextri saepe ventriculus consensualem affectionem patitur. Saepe vomitus oritur, quem comitatur anxietas pectoris, singultus et obstructio alvi. Sed vomunt tales homines in certo diei tempore sine ulla causa subito et sine omni difficultae, et nihil sane evomunt, ita ut sine dubio sympathicus vomitus existimari possit. Ex urinae deinde abnormitatibus morbi sedem et naturam mox suspicari li-

cebit et sedimentum plerumque exhibet perpaucum et purulentum. Etiam genitalia et extremitates inferiores in morbis renum plus affici, satis est notum.

### 7. *Nimia ventriculi extensio,*

quam legimus apud *Wichmann (Jdeen zur Diagnostik)*. Signum characteristicum esse vult, quod aeger, si inter umbilicum et os pubis satis premitur, statim oritur ructus aut vomitus subitaneus liquoris in ventriculo contenti.

### 8. *Inflammatio, scirrhus et alia vitia pancreatis.*

Propter viciniam ventriculi et pancreatis fieri non potest, quin per chronica ventriculi mala etiam pancreas morbose afficiatur. Nec rarum est in gastritide chronica etiam pancreatitidem chronicam et in scirrho ventriculi scirrhum quoque pancreatis invenire. Sed quum valde adhuc in tenebris jaceat pancreatis functio et natura, difficillimum etiam erit morborum ejus diagnosin certam constituere. *Abercrombie* ipse *(Krankheiten des Magens etc. p.* 516*)* symptomata non satis constare affirmat. *Harlesius* quidem, *(über die Krankheiten des Pancreas. Nürnberg* 1812*)* et *Eyting (pancreatitis chron. beobachtet und behandelt von Dr. Eyting, mitgetheilt von Dr. Heineken, im Hufeland'schen Journal, Band* 54. *St.* 4. *Jahrgang* 1822*)* satis bene de pancreatis morbis egerunt, nihilominus tamen vix facilior est diagnosis. Aliis in casibus magna siccitas oris, in aliis salivae secretio adest magna.

### 9. *Hepatitis.*

Non minus hujus morbi a gastritide chronica distinctio est difficilior, praecipue si inflammatur lobulus sinister, qui haud raro supra ventriculum ad lienis regionem tendit. Interdum etiam hepatitis in gastritidem transit. In hepatitide vero pulsus non tam est parvus et contractus, quam in gastritide. Deest etiam, certe initio, magna illa praecordiorum sensibilitas, neque tam celeriter per cibos mites vomitus efficitur. Saepe, praecipue in hepatitide chronica, regio hepatis tumet; plerumque aegri calorem sentiunt et dolorem obtusum sub costis spuriis dextri lateris, et saepe etiam cutis calor est flavus.

### 10. *Haematemesis, gastrorhagia.*

Jam supra diximus, etiam in gastritide chronica interdum sanguinem evomi, quod praecipue fieri solet, si jam in exulcerationem transit inflammatio. Sed etiam ex aliis causis oritur vomitus cruentus, e. g. saepissime per suppressionem mensium et haemorrhoidum, quam ad dignoscendam et anamnestica et status praesens respiciantur necesse est.

### 11. *Splenitis.*

Etiam in splenitide saepe nausea et vomitus occurrunt, quae ex vicinia et sympathia, quae spleni cum ventriculo intercedit, facile explicari possunt. Praecipue vero haematemeseos paroxysmi intrant, qui sub melaena acuta a *Marco* et aliis intelligi solent. Multo tamen dif-

ferunt a vomitu ex gastritide chronica exorto. Adest enim simul color ille faciei lividus, qui characteristicus est morbis lienis, nec minus dolor in regione lienis sub attactu et pressione digitorum graviori accrescens. Interdum etiam tumor in regione lienis, dolores humeri sinistri et pedis et epistaxis e nare sinistro diagnosin adjuvant. Multo major etiam est plerumque sanguinis copia, qui in lienis morbis evomitur, colorque ejus esse solet niger. Alii, quibuscum gastritis chronica confundi possit morbi, enteritis, peritonitis, helminthiasis, metritis, cholera et alii symptomatibus stipari solent, quae diagnosin eorum facile reddunt.

## VARII GASTRITIDIS CHRONICAE EXITUS.

I. Optime per resolutionem dijudicatur morbus, quae in gastritide acuta per sudores, diarrhoeas criticas, vomitum criticum et aliis quoque viis fieri solet. Gastritis vero chronica, ut omnes vero inflammationes chronicae, vix aliter nisi per lysin dijudicari solent. Igitur tum paulatim tantum symptomata decrescunt, vomitus minuitur et paulatim tantum in bonam valetudinem restituitur aeger. Sed multo frequentiores sunt ceteri gastritidis chronicae exitus, et ut in plerisque inflammationibus chronicis fieri solet, saepissime desorganisationes et pseudoproductiones sequuntur. Inter has frequentissima est

*II.* Induratio et incrassatio tunicae mucosae, Pachysmus *Naumanno* vocatur. Simul etiam glandulae lymphaticae vicinae intumescunt vel cum vicinis organis ven-

triculus concrevit. Sed saepissime etiam ulceratio cum induratione illa conjuncta est, ita ut existat

*III.* Scirrhus ventriculi. Scirrhus plerumque vel est steatomatosus vel magis cartilagineosus, et Cel. *Krukenberg* verum steatoma cum induratione et exulceratione tunicarum ventriculi se invenisse testatur. Variis locis scirrhus exoriri potest. Frequentissimus est scirrhus pylori, rarior cardiae, rarissimus parietum ventriculi. Huc etiam referenda est illa gastritis chronica carcinomatosa, quam habet *Cel. Berndt, (Rust's Handbuch der Chirurgie)* et quae funestum illum in scirrhum exitum habere solet. Ab nonnullis etiam gastromalacia, malaxis ventriculi, ex gastritide chronica exoriri dicitur; quod etiamsi non omnibus in casibus fit, certe saepissime accusari potest. Plerumque tunicarum parietes sunt attenuati et rarius tantum incrassati. Ad eum gradum gastromalacia pervenire potest, ut tunica mucosa magis muco quam tunicae similis esse videatur. Ceterum non hujus est loci disputare, utrum ex inflammatione an alia etiam ex causa oriatur gastromalacia, utrum apud infantes tantum an apud alios quoque homines occurrat. Plura de hac re habet *Lesserus* in libro supra laudato et scriptorum multitudo, quos vidi apud *Eisenmann (Schleimhautexantheme, tom.* 2. *pag.* 192*)*. Adjecisse tantum sufficiat, a *Scoutetten* duas distingui gastromalaciae species, unam, quae ex inflammatione oriatur, altera, quae ex atrophia proficiscens apud senes praecipue occurrat. Sed quia haec saepius apud senes occurrat, verisimilius mihi videtur, ex inflammatione chronica originem ejus esse deducendam.

*Quibus modis exitus lethalis fiat.*

Mors variis ex causis intrare potest. Aut scirrhus est causa mortis, quippe ex quo febris hectica vel phthisis abdominalis proficiscatur, aut post unam vel saepius repetitam haematemesin mors intrat, qualia plura apud *Abercrombie* inveniuntur exempla. Rarius ex exulcerationibus perforatio fit ventriculi et ita mors. Contenta tum ventriculi (nisi in tali loco fit perforatio, in quo effluere non possint), in abdomen effusa peritonitidem evocant, quam jam intra nonnullas horas mors subsequatur necesse est. Sunt tamen nonnulli casus, quos jam *Morgagnius* affert, praecipue apud seniores homines, in quibus, etiamsi perforato abdomine, nulla effusionis symptomata apparuere. Verba *Morgagni* haec sunt: *(Epist. XXIX v.* 14) quod nihil effusum esset in ventrem, inde fieri posse censui, quod paulatim quidem extenuata esset membranula extima, nec tamen penitus nisi extremo tempore erosa demum atque pertusa, cum videlicet contractus et corrugatus ventriculus nihil haberet, quod effunderet. Symptomata, quibus perforatum ventriculum esse suspiciamur, a *Beckero* quidem allata, non tam sunt characteristica, ut certissima iis fides haberi possit. Plerumque haec nominantur:

1. subito oritur dolor vehementissimus, a praegresso valde differens, qui initio parvum tantum locum obtinens subito supra totum abdomen et dorsum propagatur, neque ullis minuitur remediis. Dolorem huncce comitatur sensus quidam mortis instantis subitaeque virium inexitionis.

2. Vomitus, si forte aderat, subito desinit, interdum tamen vomitus perdurat vel serius intrat.

3. Signum, quod *Gérardo* fere videtur pathognomonicum abdominis est durities et rigiditas, ex musculorum abdominalium contractione oriunda.

4. Mutato situ et in cubitu sensus oritur aegro ponderis cujusdam in latus dependens decidentis vel corporis alieni in abdomine circumrotantis.

5. Sensus frigoris ex abdomine proficiscentis, etiam extremitates frigescunt et pulsus minimus fit et debilissimus; cibi plerumque in ventriculum non perveniunt et ad unum omnes rejiciuntur.

## DIVISIO.

De divisione gastritidis chronicae pauca tantum afferam, quae habet *Cel. Berndt (Rust's Handbuch)* et quae ad causam occasionalem referenda sunt. Quas tamen, si respicimus, plures adhuc gastritidis chronicae species invenire et statuere non erit ita difficile.

α) Congestiva venosa, quae cum stagnationibus sanguinis in systemate venae portarum conjuncta est, cum haemorrhoidibus et mensibus anomalis, quaeque per nimium spirituosorum abusum excitatur.

β) Gastritis chronica rheumatica, initio quidem rheumatismus ventriculi et in inflammationem deinde chronicam transgressa. Haecce species saepissime in regionibus septentrionalibus occurrit et neglecta vel male curata in scirrhum et carcinoma ventriculi transire amat.

γ) Gastritis chronica metastatica, quae ex arthritide anomala, ex suppressione exanthematum chronicorum, sudorum etc. oritur.

δ) Gastritis chronica carcinomatosa, quae ex diathesi carcinomatosa aut aliis ex causis orta transitum fecit in scirrhum et carcinoma.

Sed e. g. quibus rebus illa gastritis congestiva venosa, quae in haemorrhoidum anomalia oriatur, ab illa differat, quae metastatice ex arthritide oriatur, an revera et essentialiter differant, equidem valde dubitaverim.

## PROGNOSIS.

De prognosi haec statuenda videntur. In universum jam satis est notum, ad unam omnes fere inflammationes chronicas, etiamsi non ad periculosissimos, tamen certe ad eos referendos esse morbos, quorum decursus, (quod jam nomen indicat) quam maxime in tempus ducitur. Sic etiam gastritis chronica per menses et annos durare solet, et modo vehementior, modo mitior evadit; nec desunt etiam casus, in quibus tanta symptomatum intrabat mutatio, ut adeo ventriculi sensibilitas imminuta, et, quasi obtusa videretur. Sed a multis ejusmodi morbis gastritis chronica eo differt, quod, quum in ventriculo sedem habeat, multo difficilius sanari potest. Ventriculus enim propter naturam suam et rationem physiologicam multo saepius et frequentius quam alia organa irritari solet, et multo plures eum infestant potentiae nocentes, quam cetera. Igitur non mirum est, quod levamen quidem pro tempore, sed curationem radicalem rarissime tantum efficere valeat medicus. Huc accedit, quod rarius tantum statim ab initio morbus dignoscitur, quod tam saepe negligitur aliisque cum morbis minori-

bus confunditur, ita ut, si quando cognoscitur morbus, plerumque jam mutationes organicae aliique exitus tristes consecuti sunt. Nec minoris momenti est, quod cachectici jam plerumque sint homines et aetate provecti, qui hoc laborant morbo, quorum ventriculus per senectutem, per spirituosorum abusum, per animi affectus tristes et deprimentes jam valde est debilitatus, quique raro tantum ea fruuntur conditione, ut vitam curationi aptam et necessariam agere possint. Itaque quia vix causas tollere contingit, etiam morbus non tollitur. Interdum tamen fit, ut morbi transitus in indurationem et exulcerationem avertatur, si satis sumus attenti et prudentes. Ita *Beckerus* plures affert casus, ubi ex suppressis herpetibus et sudoribus dyspepsia et cardialgica mala originem duxerant, et post restitutas illas secretiones et per remedia apta interne adhibita gastritis illa chronica est sublata.

## AETIOLOGIA.

Ante quadragesimum vitae annum rarius tantum gastritis chronica excoli solet. Inclinant ad eam secundum *Broussais* praecipue ii homines, qui constitutione sunt robusta et musculari, fibra sicca et colore minus tenero et albo, aut ii, qui debiles sunt et minus validi, cachexiis laborant et rheumatismis facile afficiuntur. Etiam ii, qui valde sunt irritabiles, vitae simplici assueti nimisque anxii in vitae ratione eligenda, magis huic morbo obnoxii sint necesse est, quam illi, qui cibos graves difficilesque ad digerendum sine omni damno sumunt. Ita fit, ut mulieres plures malo hocce laborent, quam viri.

Etiam endemice morbus occurrere solet, praecipue iis in terris, quae humidis et paludosis abundant regionibus, e. g. Hollandia, Frieslandia.

Inter causas occasionales hae fere referri solent. Immodica ventriculi impletio minus huic morbo facere videtur, quam eorum ciborum usus, qui propter qualitates suas nocentes ventriculum infestant. Horum ex numero ii sunt, qui non solum sensibilitatem ventriculi alterari, sed etiam per nimiam irritationem minuere solent. Cibi irritantes, aromatici vel difficiles digestu et calefacientes, potus nimius liquorum, qui fermentarunt aut adhuc fermentant, praecipue si rapide et calidi adhuc sumuntur, id efficere solent. Etiam celeris calidorum et frigidorum ciborum devoratio, praecipue vero aqua frigida inter coenam et in corpore calefacto sumta morbum gignere possunt. Prae omnibus vero damnum affert abusus spirituosorum, sive calidi sumti noceant sive nimirum contineant materiae pyricae. Hoc tamen constat per nimium eorum usum nervos ventriculi magis magisque debilitari et obtundi. Ex remediis praecipue nominantur acida, et mineralia diluta et vegetabilia, deinde emetica et purgantia drastica, in universum omnia ea, quae acri sunt natura. Etiam morbi ventriculi mere nervosi, ut cardialgia, gastritidi chronicae favere possunt, si multa ad eam curandam frustra adhibuit aeger. Etiam per longam ciborum abstinentiam hoc malum provocari, omnes illi demonstrant casus, ubi in sectionibus hominum fame mortuorum ventriculus inventus est chronica inflammatione, adeo gangraenosa affectus. Animi affectus deprimentes, praecipue ira et moeror diutinus, non levis sunt momenti.

Sed non solum primario, sed etiam secundario modo gastritis chronica oriri potest. Catameniorum, haemorrhoidum, sudorum, herpetum suppressio huc referenda est. Etiam metastases arthriticae et rheumaticae nonnullis a medicis pro causis occasionalibus gastritidis chronicae habentur. Satis etiam est notum, nonnulla exanthemata epitelium oris, oesophagi et adeo ventriculi infestare solere, quod *M. Stoll* per vomitum, diarrhoeas et dolores cardialgicos se manifestare auctor est.

## THERAPIA.

Quum in cujusque morbi, tum praecipue in gastritidis chronicae curatione quam maximi est momenti, indicationem causalem sequi, i. e. causas tollere, quae morbum excitarunt et nutriunt. Etenim gastritis ipsa chronica plerumque per tales gignitur causas, quae in corpore ipso jam longius perdurarunt, quibusque non remotis omnia illa remedia vana et inutilia sunt. Ubi igitur haemorrhoides suppressae sunt aut irregulares, hirudines praecipue ad anum applicandae sunt, quas laudat Cel. *Berndt*; ubi symptomata arthritica adsunt, morbo primario est occurrendum. Nec minus inter omnes medicos jamdudum convenit, quanta sit utilitas diaetae recte et modice institutae. Primum omnes materiae spirituosae, acres et aromaticae, calefacientes etc. plane sunt vitandae, nec minus coffea, quamquam potus sit omnibus fere communis et difficillime feratur ejus jactura. Vino canariensi (Madeira), quod pro potu quotidiano eximie laudat *Sydenham*, tum tantum fortasse locus erit, si sublato statu erethico debilitas tantum et ato-

nia ventriculi remansit. Deinde etiam perpaucis tantum cibis frui debet aeger, quia omnem ventricnli expansionem vitare difficillimum est. Praecipua vero est utilitas lactis, imprimis si secundum *Valsalvae* methodum sumitur, in quod *Naumann (l. c. tom. IV.* 1, *pag.* 500*)* et *Abercrombie (II. pg.* 63*)* et alii consentiunt, inter quos etiam Cel. *Wolff.* Ad potum ordinarium commendat Cel. *Wolff* aquam Selteranam cum lacte, secutus medicos antiquiores, qui aquam carbonico-acidam cum lacte caprino, jusculo gallinaceis aliisque materiis commendarunt. *Delpech* aequales partes aquae et lactis praescripsit in casu aliquo, ubi jam exulcerationem et febrem hecticam ex gastritide chronica ortas omnia symptomata indicarunt. Jam post nonnullum tempus vomitus et singultus desierunt, sitis imminuta, vires adauctae, somnus accessit. Sunt etiam qui magnas commendant copias mellis. (*Most,* Encyclopädie sub: inflammatio ventriculi chronica.) Etiam omni corporis motu vehementiori abstinendum esse, monet *Abercrombie* (l. c. pag. 64).

Jam vero ad indicationem morbi sequendam pervenimus. Inflammatio, quum sit chronica neque vehementius incedat, vix unquam venaesectionibus erit locus. Eo major est utilitas hirudinum ad epigastrium positarum saepiusque repetitarum. Ad anum etiam et genitalia muliebria ponendas esse nonnullis in casibus, jam supra vidimus. Cucurbitulae etiam sanguineae et siccae laudantur, ut jam *Aretaeus* unam cucurbitulam ad regionem ventriculi, alteram ad dorsum ei oppositum applicuit. Etiam antagonistica cutis irritatio utilitatem praebet per balnea calida, vesicatoria, sinapismos, inunctiones in epi-

gastrum incitantes, inunctionem e. g. unguenti e tartaro stibiato, interdum etiam per moxas et fonticulos, quae tamen nimis sunt molesta et injucunda.

Quae interne commendantur, haec fere sunt: Primum commemoro glaciem sub forma pilularum aut cupediarum glaciatarum adhibendam, quam etiam Cel. *Wolff* in casu quodam clinico adhibuit. Sed dubito an in nulla alia gastritide huic remedio locus sit, quam in traumatica acuta. Ceterae enim tunicarum mucosarum inflammationes, praecipue chronicae, frigoris applicationem vix ferre videntur. Cel. *Berndt* praecipue Anglos secutus medicos laudat hydrargyrum muriaticum mite. Plerisque tamen in casibus hoc remedium rejiciendum erit et tum tantum adhibendum, ubi status adest tunicae mucosae irritatus, non vere inflammatorius, sive idiopathicus, sive sympathicus. *Most* etiam biduum unum granum Calomelanos laudat. Ex ceteris hydrargyri praeparatis praecipue laudatur hydrargyrum zooticum, quod Cel. *Wolff* hac formula praescripsit:

Rec. Hydrargyr. zootic. gr. β<br>
Pulv. gummi mimos. gr. iij<br>
Sacch. alb. gr. vi

M. f. pulv. disp. tal. dos. No. iv, dentur ad chartam ceratam, S. per diem usurpandae. Sed hoc ex remedio mox salivationem ortam esse, ipse vidi. — Ab Anglis etiam primis adhibitum est argentum nitricum, quod etiam Cel. *Autenrieth* laude habet dignissimum (gr. 1 ad aq. destill. ℥ vi—viii), quod nimiam ventriculi irritabilitatem et sensibilitatem specifico quasi modo tollat. Praecipue vero metastaticas ventriculi affectiones, quae ex

arthritide oriuntur et vomitu acido sunt stipatae, tutissime hoc remedio sanari affirmat *Mueller (Dissert. de usu argenti nitr. in morbis ventriculi. Tubing.* 1829*)*. *Abercrombie* nonnullis in casibus, in quibus morbum nostrum nasci suspicabatur, ferrum sulphuricum summa cum utilitate se adhibuisse confirmat hac quidem formula:

Rec. Ferri sulphur. gr. ij
Pulv. aromat. gr. v.
Aloes gr. j
Sacch. alb. ℈ß
Per diem ter pulvis unus.

Etiam *Naumann* laudat hoc remedium cum chinino et opio conjunctum.

Rec. Ferri sulph. gr. j
Chinin. sulph. gr. j
Extr. opii aquos. gr.
Sacch. albi ℈ß
Bis vel tres per dies pulvis unus.

Ferrum sulphuricum, ut alia remedia adstringentia omnium optime mihi placent. Equidem enim non video, quo alio modo remedia in gastritide chronica laudata esse possint, nisi per vim suam localem in locum ipsum affectum. Quemadmodum enim etiam inflammationes externae, ulcera etc. per praeparata plumbica et adstringentia sanantur, omnia vero remedia incitantia nocent, sic etiam in gastritide chronica ex omnibus remediis laudatis adstringentia tantum et minus incitantia locum habere posse videntur. Bismuthum etiam nitricum laudantur, sed, quum satis sit notum, in cardialgia praecipue utilitatem ejus esse magnam, verisimile est, iis in

casibus, in quibus bonum effectum exseruerit bismuthum, cardialgiam pro gastritide chronica esse habitam. Laudantur etiam ab *Abercrombie* opium, gummi kino, alumen, radix ratanhiae. Sed haec quoque remedia magis ad cardialgiam quam ad gastritidem chronicam pertinere mihi videntur. Solutionem etiam arsenicalem laudarunt in gastritide, praecipue ex febribus intermittentibus, arthritide, rheumatismo orta. Sed hoc quoque remedium quemnam et quomodo effectum habere possit, vix explicari posse mihi videtur, quum certe in nulla alia inflammatione, sive sit acuta sive chronica, sive interna sive externa, ad eam confugere in animum cuique veniat. Cel. *Krukenberg* sub finem curationis praecipue laudat hepar sulphuris.

---

## HISTORIA MORBI.

Vir quidam, nunc sexaginta quatuor annos natus, constitutione satis robusta, qui usque ad 54 vitae suae annum praeter variolas nunquam aegrotaverat, initio mensis Septembris doloribus correptns est trahentibus regionis sacralis, qui postquam tres jam hebdomades perdurarunt, adeo accreverunt, ut vix corpus erigere valeret. Medicum consuluit, quo suadente vespere infusum sambuci cum spiritu Mindereri sumsit et sub nudum praeterea corpus stragem laneam induit. Hoc quum circiter per decem dies continuasset, nec tamen ullum levamen accepisset, ad balnea russica confugere placuit.

Primo jam postquam erat usus, multo melius se habuit, ita ut jam negotiis suis, quae magis animum quam corpus intendunt, praeesse posset. Paullatim post pluries repetita balnea russica dolores desierunt; ex hoc tamen tempore saepius vertigine se affectum esse aeger contendit. Medicus ejus ex congestionibus versus caput venosis oriri declarabat, quae quidem hac aetate non ita essent rarae, et venaesectionem instituit parvam, interne vero magnesiam sulphuricam praescripsit. Neque hoc etiam remedium, per nonnullos dies adhibitum, aegrum sublevavit. Sed, quum parva tantum esset vertigo, nulla ejus ratione habita aeger negotia sua consueta mere sequebatur, multum ambulabat et equo vehebatur. Sic plures preterеunt anni et mediocriter aeger se habebat. Attamen mense Aprili 1828 pedes aeger sibi refrigeraverat et gravum inde sibi contraxit catarrhum, quin tamen capitis dolores vel alia incommoda consecuta sint. Attamen saepius abdomen tumidum fuisse aeger affirmat, doloresque in eo prementes et pungentes, qui tamen statim evanuerunt, postquam flatus aeger evacuavit. Contra haecce mala clysmata ex aqua frigida adhibita sunt, quae tamen male tulit aeger, quippe duae maximam ei efficerent vertiginem. Omissis igitur hisce, amicus quidam rure ad Berolinum habitans, qui saepius equo ad eum venire solebat, et mania illa hodierna, omnia aqua sanandi, laborabat, persuasit ei, ut contra haecce incommoda, quae jam saepius cardialgiae instar intraverant, curam aquaticam in usum vocaret, quam ipsum jam pluribus ex annis optimo cum successu contra haemorrhoides adhibere affir-

mabat. Aeger, ratus se tandem contra malum suum auxilium invenisse, hilariter amico se dedidit et simul cum eo per duas hebdomades curam illam adhibuit. Sed hac quoque cura finita aeger non est sublevatus, et e contrario dolores abdominis, qui nonnullis post coenam horis intrabant, adaucti sunt. Quum post flatuum evacuationem et ructus aeger bene se haberet, semper hoc quoque malum e flatibus derivabatur et carminativa adhibebantur. Interdum tamen nonnulli praeterierunt dies, per quos doloribus plane vacabat aeger; appetitus tunc aderat et somnus et in universum tam floride et valide se habebat, ut vix pro aegro quisquam eum declarasset. Tempestate frigida et humida dolores majorem vehementiam sumsisse dicuntur. Diversis medicamentis utebatur ad haecce incommoda debellanda, quae et medici et artis medicae iguari homines ei suaserant. Sed frustra et e contrario dolores bis terve per hebdomadem versus noctem exacerbantur et vehementiores fiebant, interdumque etiam cibi vomebantur, quo facto in sudorem transiit aeger et sic sine doloribus in somnum. Sequente die mane jam aeger e lectulo surrexit et vires sensit infractas, quamobrem, quum habitum ostenderet floridum, ne medici quidem magni momenti habebant malum; quo factum est, ut ad annum usque 1834 nullam curam regularem adhiberet aeger. Contra accessiones illas cardialgicas sumsit pulvis aërophorus, opium, spirit. sulph. aeth., inf. chamomillae, valerianae, sed frustra. Mox adeo accreverunt dolores, ut per noctem exclamitaret aeger. Proficiscebantur inde a columna vertebrali in regionem renis dextri et ad ventriculum usque

pertinebant; deinde cum doloribus vehementissimis vomitus intrabat, qui saepe 2—4 horas perdurabat. Gravissime aeger cruciebatur et ii tantum de ejus laboribus judicare poterant, qui in paroxysmo ipse aegrum videbant. Quum dolores et vomitus quotidie fere sub vesperam redirent, et vires aegri jam labefactari inciperent, plures hujus urbis medici in auxilium vocati sunt, quorum sententiae valde inter se differebant. Unus, qui hepar laborare, et bilem pravam et ad cibos digerendos non aptam putabat, fel tauri recommendabat mane ℥ii sumendum. Alter, renes laborare ratus, quia dolores in regione renis inciperent, aquam Selteranam cum lacte praecepit; alius scirrhum pylori accusabat, ut breviter dicam, aeger secundum varias medicorum opiniones fere omnibus morbis gastricis laborasset. Aeger, postquam diversas curandi methodos adhibuit, quin melior evaserit status, imo pejus se habuit, ad homoeopathicam confugere decrevit. Quamnam vero medicinam acceperit, non satis certo scio, puto tamen fere nullam eam fuisse. Tamen negari non potest, per menses 4 aegrum plane liberum a doloribus fuisse, cujus rei causa in sola diaeta accuratiore et moderatiore quaerenda mihi videtur. Sed brevis fuit laetitia. Subito enim acerrimi dolores intrabant, qui nunc interdiu per horas 8—10 durabant, et raro nunc praeterlabebatur dies, in quo doloribus vacabat aeger; nulla olera ferebat, quae flatus ei efficiebant vehementissimos. De homoeopathia jam erat actum, omnem medicinae fidem aeger amiserat, ut mortem sibi optabat dolores finituram. Tum temporis, (Septembri 1834) Halis redieram, quum aeger omne auxilium despe-

rans miseriae suae et calamitati se jam dedisset. Cum aegro propinquitatis vinculo conjunctus petebam, ut, etiamsi per nonnullas tantum hebdomades, se mihi traderet. Quamquam parum tantum habuerit fidem, tamen omnia experiri voluit ad dolores suos mitigandos. Postquam corpus ejus exploravi nihilque abnorme inveni, persuadebam mihi ex causa rheumatica malum esse exortum, quamobrem ad regionem intestini coeci vesicatorium magnitudine volae manus applicui, interne vero adhibui

Rec. Magist. bismuthi gr. jj
Opii pur. gr. β
Sacch. alb. ℈j
M. f. pulv. etc. S. quotidie ter pulvis unus.

Primos per dies dolores non remisere incepit jam aeger gemere; quinto vero jam die post coenam nullus dolor intrabat, et inde ab hoc tempore quam maxime reconvaluit aeger. Dolores abdominis desierunt, eorumque in locum successerunt dolores trahentes lumborum. Commendavi ei balnea Teplitziana, quibus per 8 hebdomades usus nunc ab omnibus doloribus liberatus, vivit. Ad recidivum morbum impediendum balnea sulphuris hic adhibuit, et, quum digestio valde jaceret, quotidie post coenam sumsit.

# VITAE CURRICULUM.

Natus sum ego, *Georgius Hubertus Leo Krappe*, evangelicae addictus confessioni, anno MDCCCXII Berolini, patre optimo, *Carolo Krappe*, consiliario bellico, matre dilectissima, *Guilelmina*, e gente *Hubert*, quos parentes gratia divina adhuc vivos mihi servavit. Primis, quibus puerilis aetas instrui solet literarum rudimentis domi imbutus, gymnasium Friderici Werderiani, primum *Zimmermanni*, deinde vero *Ribbeckii* auspiciis vigens, per quatuor annos frequentavi. Inde a praeceptoribus privatis, quibus maximas ago gratias, bene eruditus, examine abiturientium apud quatuor viros maturitati adolescentium cogno-

scendae rite absoluto, a. MDCCCXXXI inter cives academicos Berolini receptus, ab Ill. *Marheinecke*, t. t. Rectore magnifico, medicinae studiosorum numero adscriptus sum. Ex illo tempore hisce interfui praelectionibus:

*Cel. Ritter* de logice; *Ill. Link* et *Ill. Schultz* de botanice et historia naturali; *Ill. Lichtenstein* de zoologia; *Ill. Mitscherlich* de physice et chemia; *Beat. Rudolphi* de encyclopaedia et methodologia medica, de osteologia, de anatomia corporis humani, foetus et organorum sensuum, de physiologia; *Ill. Schlemm* de syndesmologia et splanchnologia. *Idem* et *Beat. Rudolphi* in arte cadavera rite dissecandi magistri mihi fuerunt.

Tribus semestribus praeterlapsis, almam petii academiam Halensem, ubi ab *Ill. Pernice*, t. t. prorectore, in academicorum civium numerum receptus, hasce frequentavi lectiones: *Perill. Krukenberg* de pathologia et therapia tam generali quam speciali; *Ill. Blasius* de chirurgia, de ossibus fractis et luxatis, de arte fascias rite applicandi; *Ill. Friedlaender* de pharmacologia; *Ill. Niemeyer* de arte obstetricia. Institutionibus clinicis medicis *Perill.*

*Krukenberg* per duo semestria, obstetriciis *Ill. Niemeyer*, chirurgicis *Ill. Blasius* per unum semestre practicans interfui.

Autumno a. MDCCCXXXIV ad almam hanc musarum sedem regressus, praelectiones *Ill. Mueller* de anatomia et anatomia pathologica audivi, et clinica varia *Ill.* et *Cel.* virorum *Bartels*, *Wolff*, *Rust*, *Juengken*, *Busch*, *Kluge* frequentavi.

Omnibus his praeceptoribus Illustrissimis atque Celeberrimis maximas, quas possum, habeo gratias, easque palam et sincera mente profiteor.

Tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso rite absolutis, dissertatione conscripta, thesibusque defensis summos in medicina et chirurgia honores ex facultate gratiosa peto.

## T H E S E S.

1. *Inter bronchitidem et catarrhum pulmonum nullam nisi gradulam differentiam esse, contendo.*
2. *Calor animalis ex diversis fontibus oritur.*
3. *Rheumatismus acutus febrilis optime curatur sanguinis missione.*
4. *Laudo Hippocratis sententiam: si quid movendum, move.*